

um à Microscopiis ac Telescopiis edi solitorum causas quodammodo nos de-  
claraturos, non accuratissimè demonstraturos polliciti sumus.

## AUCTARIUM XVI. TENTAMINIS.

**N**on deessent quæ ultimo quoque huic Tentamini illustrando proforent, in primis ejus Phænom. I L. ubi diximus Laternæ Megalo-graphicæ rudimenta quædam apud vetustiores quosdam Scriptores extare. Certè, ut alios taceam, Kircherus cum Schotto suo, quod de Salomone Rege Rabbini, de Rogerio Baccone alii narrant, ipsos umbras aut effigies suas in locis à se distantibus repræsentasse, id hâc arte probabiliter factum credidit; estque ea laterna, quam B. Swenterus Delic. Mathem. Parte VI. Prop. 31. depingit, externâ formâ & ex parte quoque internâ, nostræ quam simillima, effectu autem & usu ea ipsa penitus, quam audaculus quidam hodie, tanquam proprium inventum ac sui ingenii foetum (uti multa alia) falso venditat; ad perstringendos scilicet obviorum oculos ac detegendas delitescentium sub nocturnis tenebris actiones, atque adedò in bello utilissimas, prout exertis verbis Vir Celeberrimus cit. ante loco monet. Verùm ex causa jam iteratò dicta plura his super addere prohibiti, **DEO NOSTRO**, quòd benedicere ex alto nostris, quilibuscunque laboribus clementer voluerit, gratias agimus ex toto pectore humillimas, eidemq; porrò omnia nostra cœpta & consilia animo in immensam ejus gratiam confidentissimo, commendantes, ultimam huic operæ manum admovemus.



# INDEX